



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Vtî amans anima beatitudinem Sanctorum quam de Christi Iesu concipiunt  
humanitate glorificatam, contempletur. Cap. XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Q. VI  
11

Esaï. 63.  
Esaï. 53.

Nullus inquam, quia tu solus torcular crucis calcasti, nec de gentibus, imò nec de Angelis erat vir tecum. Tu enim solus verè vir, id est, virilis, solus vir virtutibus plenus pro nobis factus es, *vir dolorum & sciens infirmitates*, quia tu solus portasti in corpore tuo super lignum iniquitates omnium nostrum, qui mortè tua viuificati sumus.

Cant. 1.  
Psal. 44.

Sed ecce tum per ordines Angelorum te illis præferendo, descendendo à gloria diuinæ maiestatis ad ignominiam crucis tuæ deuenit: sed non inconuenienter, vt reor: Dum enim pulchritudini tuæ in temetipso lucenti cordis obtutus inigo, ad pulchritudinem humilitatis tuæ perueni, quæ in tua maximè humanitate poterit deprehendi. Quid autem pulchrius humilitatis virtute, sine qua nihil tuis oculis pulchrum esse potest? Quàm pulchra est in te virtus humilitatis tuæ pulcherrime Deus meus, quanta in te luce præfulget, quàm valdè lux illius in te omnes creaturas excellit. Ecce sic pulcher es dilecte & decorus, speciosus valdè præ omnibus filiis tuis, id est, Angelicis spiritibus, quorum singulas virtutes ipsorum, ordinibus & officijs specialiter conuenientes inæstimabili excellentia antecellis.

1. Petr. 1.  
Ioan. 15.

Humilitatis quippe benignè, & humilis benignitatis ministerio præis ordinem Angelorum, facundia tua Archangelos antecedis, miraculorum patrations Virtutes exuperas, fortitudo tua Potestates excellit, honor tuus supergreditur Principatus, potentia dominat. Enis tuæ Dominationibus superferitur, Thronis es in tranquillitate pacatior, Cherubin in sapientia tibi cædunt, Seraphin te in charitatis ardore sequuntur. Ecce quàm pulcher es, & quàm decorus & pulchritudo & decor æternæ, quàm formosus es, & quàm speciosus formator & reformator omnium. In cuius speciem desiderant Angeli prospicere, vt de te in fonte clarissimo, fonte luminis æterni scaturientem in te virtutum tuarum in se hauriant claritatem, afertissimè cognoscunt, quia etiam ipsi sine te nihil possunt facere, & seipsos quoque in æterna claritate statutos sine tuo lumine tenebras esse profitentur.

*Vti amans anima beatitudinem sanctorum, quàm de Christi Iesu concipiunt humanitate glorificatam contempletur.*

CAPVT XXIII.

2. Cor. 3.  
Matt. 5.  
Ioan. 17.

**O** Verè felices in hac, quæ tu es, clarissima claritate manentes, felicissimi omnino pueri tui, qui inseparabiliter in hoc tam lucidissimo speculo faciei tuæ, te ipsum, se ipsos & omnia quæ sciri bonum & dulce & necessarium est, infallibiliter intuentur. Speculantur spiritus beatissimi tam hominum, quàm Angelorum amicorum tuorum speculum clarissimum dulcissimi vultus tui, non per speculum & in ænigmate, sed serenissimo intuitu mundi cordis, selesq; secundum promissionem tuam verè beatos & beatissimos per experientiam recognoscunt, quia *beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et hæc est eorum vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem agnoscunt amant, & amato pro suo libitu æternaliter perseuantur.*

Quàm magna, quàm maxima, quàm inexplicabilis, quàm incomprehensibilis est lætitia cordis eorum, qui in perfectissimo libro cordis tui, tuam tam perfectam erga se legunt & intelligunt charitatem, nunquam terminandam, nulla vnquam suspitione fuscandam, nullis vnquam dissensionibus dirimendam.

Quàm



SOLILOQVIUM ANIMAE FIDELIS.

Quam felix & quam dulcis intellectus, cui dulcissimi cordis tui tam manifeste, & tam copiose reuelantur arcana, vt ad intelligendam voluntatem tuam omnem, omnino sufficiat reuelatio vultus tui, à quo lux diuina procedens, ita omnium te videntium corda, sua mirabili serenitate serenat, vt in aspectu tuo clarissimo vniuersa quae sciri debent arcana pateant.

Accedit huic visioni Deificae, illa suauissima suauitas vocalissimae vocis tuae, loquentis ad cor omnium ciuium supercaelestis Hierusalem, loquentis pacem in plebem tuam, non qualem mundus dat, sed qualem tu solus das omnium pacatissime pater pacificorum beatorum, quoniam filij tui vocantur & erunt, qui à te consolator dulcissime consolationis dulcissimae verbum merebuntur audire, per quod tanta cordibus eorum laetitia infundetur, vt abstergetur omnis lachryma ab oculis eorum, gaudio sempiterno omnem locum cordis eorum possidente possessione perpetua, ita vt illi turbationis nullus vnquam praebatur accessus.

O Deus meus, laetitia cordis mei, quis agnosceret dulcedinem festiuae vocis tuae in illis nuptijs sempiternis, vbi felicissima sponsa tua tota Ecclesia multo tempore, multis ex locis collecta, in illo regno beatissimo iam tunc vnum cor habens & animam vnam, tua mellea voce plena omnibus consolationibus, liberrime perfruetur, & vberissime satiabitur.

Quid autem credam te loqui amicissimis tuis, in die desponsationis tuae, in die solennitatis & laetitiae cordis tui, cum tu dulcissime legislator & dabis benedictionem, & benedices coronae anni benignitatis tuae? Benedices, tu ei, & erit benedicta te in ea regnante, & tuos regente, qui es benedictus in secula.

*Vti amans anima sanctorum gaudia ex temporis aeternitate ac felicitate contempletur.*

C A P V T XXIV.

Quis autem est annus iste, cui, cuiusque coronae tu benedices, nisi tempus illud quieti & gaudij, qui etiam dicitur annus acceptabilis Domino? Quae autem est haec corona huius anni, quae à te Domine benedictionem accipiet, nisi illa aeternitas temporum, quae finem non habet. Felix annus, tali corona redimimus, Felix corona, tali benedictione insignita. Quos, quot & quales lapides credam in hac benedicta corona fulgere? Quis horum lapidum micantium nomina numerumque cognoscit, nisi tu qui numerus multitudinem stellarum, & omnibus eius nomina vocas? Quis horum lapidum pulchritudinem dignitatemque perspiciat, nisi tu artifex optimè, conditor & institutor eorum? Qui autem sunt lapides hi, nisi gaudia anni beatissimi, nunquam terminandi, quae in ipsa aeternitate sine defectu refurgent, tanquam radiantes lapides in corona? Quis haec gaudia enumerare sufficiat? Felix profecto annus benignitatis tuae, pater benignissime, in quo tantum benignus videberis & eris. Non timebitur in eo iudicium seueritatis tuae, & gladius iustissimae ultionis, sed sola tui mitissimi cordis benignitas de ditissimis thesauris bonitatis & mansuetudinis super amicos tuos charissimos, tanquam in torrente fortissimo effundet.

Verè igitur benedicta erit corona anni benignitatis tuae, cui tu benedices, cum in illa aeternitate temporis felicissimi, benedicens benedices iustis voce tua iucua-

M m m m      dissima